

Elff. 59.5.

Q. D. B. V.

DE

NOTIS MASORETHICIS,

פסקה, תקון סופרים
& עטור סופרים

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGUSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

In Celeberrima Wittenbergensi Academia

publice disputabunt

PRAESES

M. JO. BARTHOLOMAEVS
LENZIVS,

Marcobreita - Francus.

ET

RESPONDENS

ae.


JOHANNES GEBHARDVS,

Moenobern. Francus.

In Auditorio Philosophico.

Anno Academiae Seculari cl̄o Iō ccII. die XX. Septembr.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.



בגה

Nedefessa non minus quam admiranda Iudeorum diligentia, qua puritati atque integritati Codicis sacri constanter omni aevo invigilarunt, *Augustinum* facile permovit, ut eosdem *pro capsariis nostris* facete per quam ac eleganter dudum reputaverit. Et profecto, si nullum huius rei aliud extaret testimonium, *Masora* sufficienter et ad oculum idem nobis demonstraret. Iudei omnes, pariter atque Christiani saniores, multis laudibus, dignisque encomiis eam extollunt, imo suspiciunt et admirantur; cum Autores eiusdem hoc unice sibi datum esse crediderint, ut Biblia ab omni corruptione servarent integra, dulcissimosque hos Israëlis fontes ad ultimam usque posteritatem purissimos transmittenter. Numerabant hunc in finem non tantum *voces, versus atque literas*, sed earundem varias *affectiones* et *gēōeis* solicite insuper adnotabant; quibus *desetum* aut *excessum* literarum, et ubi diversitas aliquia vel *vocalium* vel *accentuum* occurrebat, cum cura adiiciebant. *Est enim Masora, finiente Buxtorfio, doctrina Critica a priscis Ebraeorum sapientibus circa textum Ebraicum sacrae Scripturae ingeniose inventa, qua versus, voces, et literae eius numeratae, omnisque ipsarum varietas notatae et suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est, ut sic constans et genuina eius lectio conservetur, et ab omni mutatione aut corruptione aeternum praeservetur et valide praemuniat.* Vel brevius ex Ebraeorum mente: *Masora est doctrina Critica circarectam lectionem et scriptiōnem vocum, quo ad literas, uocales, et accentus. Distinguī haec ipsa solet in magnam et parvam; quae dixotomia ipsis quoque Iudeis probatur. Parva dicitur illa, quae textui Ebraeo apposita meritis technologicis et abbreviaturis constat, literisque numeralibus, vocibus decurtatis et symbolicis ad latus et marginem textus breviter et succincte describitur. Masorethae enim extraxerunt notas*

qvasdam brevisimas ex Masora magna, teste *Elia Levita* in Masor.
מה שנמצא כתוב בಗליונות הספרים אין אלא קצ'ור מהמסורת
quod reperitur scriptum in marginibus librorum, nil nisi com-
pendium ex *Masora magna* est; qvas vel per nudas literas, vocabulo-
rum numerum indicantes, vel per voces a fine decurtatas, vel
per signa et abbreviaturas mentem *Masorae magnae* represe-
ntantes, expresserunt. Iliae interim voces, ad qvas hae notae mar-
ginales debebant referri, circello superscripto notabantur, no-
tae vero laterales מסורה קטנה dicebantur, ut idem *Elias l.c.* scri-
bit: בגליונות שבצדדי הספרים ובין העמודים כתבו הרמזוּת
והסימנים וסכום המלות והענינים בקצ'ור מופלג בראשי תיבות
Masorethae in marginibus, וبنוטריון והוא הנקרא מסורה קטנה
qui ad Lateraliborum et inter columnas ipsas fuerunt, scripserunt, indi-
cia et signa, et numerum dictiōnum et rerum, brevitate miranda per ab-
breviaturas et notariacum, idque vocatur *Masora parva*. Magna vero,
qvae Hebraeis רבתא vel מסורה גדרלה audit, comprehendit to-
tam criticen, qva *versus*, *voces* et *literae* S. Scripturae numeran-
tur, earumque variae affectiones annotantur, cum plena locorum
Scripturae enumeratione, qvae in parva ob spatii angustiam ap-
poni aut recenseri nequiviverunt. Haec respectu loci, quem in
libris impressis occupat diversum, duplex est; vel *finalis*, qvae in
fine Biblorum ponitur; vel *textualis*, qvae coniunctim cum ipso
textu in superiori et inferiore, interdum etiam marginali eius ora
collocatur. Multa et praeclara de *Masora* extant monumenta a
Iudeis aeque ac Christianis certatim confecta. Inter illos erudi-
tas huic operi manus primum admovit *Aben Esra* in libro צחות
quem cum insigni nominis sui fama *Elia Levita* in msorah
insequutus est. Hic vero liber, ut brevis in *Masoram* est com-
mentarius, ita vel eam ob causam rarius hodie conspicitur, quod
praeter pauca ista, qvae *Sebastianus Munsterus* civitate latina dona-
vit, neque in latinum neque aliud quoddam idioma fuerit transla-
tus. E nostris, ut ex messe amplissima spicilegium tantum
instituamus, ad *Buxtorfium in Tiberiade*, *Hottingerum in Thes. Phil.* p.
396. *Hakspan. in libro Nizachon* p. 293. *Leusdenium in Phil. Ebr.* p. 251.
Pfeiff. in Crit. Sac. cap. 6. p. 180. et in *Theol. Jud. Exerc. III.* p. 125. *Glas-*
suum in Phil. Sac. p. 20. qui omnes copiose atque solide de utilissimo
hoc

hoc invento, qvod conciamata Iudeorum tempora, et Academiarum atque Synagogarum per Iudeam imminens defectus, exposcebat, merito hic provocamus. *Annotationes criticas Masora* habet plurimas, et ut *Sixt. Amama in Antibarbaro Bibl. p. 14.* scribit, *farraginem sylvam variarum observationum complectitur.* Nos ex tanto numero tres elegimus, nempe א, ב, ת & ע de qvibus in praesenti agemus. Ut vero felix successus, dum iter hoc ingredimur, nos non destituat, Dei gratiam et auxilium humillime imploramus.

THESIS I.

Varii sunt Masorae Autores atque diversi, diversis etiam seculis vixerunt; hinc ipsa quoque diversa est, et alia atque alia eius authoritas.

§. I.

Duo hic occurunt, quae discussionem et examen potissimum merentur. Alterum Masorae *Autores*, eorumque numerum et aetatem; alterum vero ipsius *autoritatem* seu dignitatem, quam apud Iudeos aequa ac Christianos obtinet, concernit. Qui ad immensum illum laborem saltē obiter et limis quasi oculis attendit, ultro fatebitur, non unius viri aut aetatis opus eundem esse, sed et tempore et inter se plurimum diversum. Recte hanc in rem *Elias Levita præfar. 3.* Masor. sequentia commemorat: **בעל המסורה דיו למאות** *Autores Masorae* fuerunt cœn-
teni et milleni (id est, quam pluri) una generatione post aliā per
multos annos. Certos autem Masorae Autores nominare, vel in tan-
ta opinonum varietate et discrepantia determinare, perdifficile vi-
detur. Ipse Clar. *Buxtorfus*, indefessus Masorae indagator et restau-
rator, quando ad hoc argumentum delabitur, in Tiberiade sua sive
Comment. Masor. cap. 3. pag. 8. edit. Basili. Anno 1620. in 4. paria
ferme inculcat, cum ita scribit: *Masorethae veri qui fuerint,*
ubi aut quando vixerint, id ex Ebraeorum libris chronologicis aut
præcisa historia Hebraica, aut ipsi metu Masoretarum scriptis, certo ex
indubitate sciri nequit. Etenim si quae de eo certitudo esset, eam tot
viri docti, Hebrei et Christiani, quales R. Jacob Chajim, autor et collector
Masoræ hodie impressæ, Elias Levita acerrimus huius rei scrutator, Ari-

as Montanus, Io. Mercerus, aliique doctissimi, qui manuscriptos Masorae libros accuratissime perviderunt, nullo modo tacuissent. Haec Buxtorfius. Quidam Talmudici praecipuam Masorae partem dicunt esse traditionem Mosis e monte Sinai, sic enim in Tract. נורוּת הַלְמָד cap. 4. legitur: קריין ולא כתיבן ולא קריין הלכה למשה מסוני qvae leguntur et non scribuntur, qvae scribuntur et non leguntur, traditio sunt Mosis de monte Sinai, videantur plura apud Leusdenium in Philol. Ebr. dissert. 23. p. 274. et Hott. in Thes. Phil. p. 412. Duae ceteroquin de Masorae Autoribus famosiores prostant sententiae, quarum vietrix a via, ob summos, qvibus utraqve multum superbit, basiatores, nisi veritas lex nobis suprema esset, discerni vix potest. Pars enim asserit, Esram cum reliquis magnae Synagogae afferribus, qui numero centum et viginti fuerunt, eandem composuisse; quam opinionem cum plerisque Iudeis Christiani plurimi defendunt: Pars contra ad Sapientes Tiberienses, quasi hi ipsi, qui circa seculum demum VI. post Christum natum in urbe Tiberiade congregati fuerunt, Masoram primi conscriperint et propalaverint, rem omnem deferendam esse existimat. Nos, ut cum optimis probatissimisqve autoribus priorem sententiam amplectendam esse statuimus; ita intrepide affirmamus, Esram cum suo Collegio, in quo ultimi Prophetae fuerunt, Masoram inchoasse, vocumqve adeo et literarum vera lectione atque scriptione divinitus firmata, scripturam in tres partes principales, nempe נבאים Legem, Prophetas et חוכם Hagiographam divisisse, Textumqve integrum in Sectiones suas distribuisse; Tiberienses vero collapsum Masorae studium iterum restaurasse, inventis etiam qvaedam addidisse Crisinqve hanc universam cum orbe eruditio communicasse; ut adeo non tam pro Autoribus, quam scriariis, custodibus atque fidelissimis conservatoribus haberipromereantur, conf. Bux. Tiber. pag. 102. Glass. Phil. p. 20. Hott. Thes. p. 398. Leusd. Phil. Ebr. p. 302. et Jon. illustr. diff. 3. Sect. 10.

§. II.

Constitutis hoc modo Masorae Autoribus faciliori multo negotio in eiusdem autoritatem poterit inquiri. Pro diversitate enim Autorum, ipsam qvoqve dignitatem variare plurimum, nullus, ut spero, ambiget. Sed ut in his aliorum lubens sequor vestigia, ita Cl. Hakspanium in scenam hic produco, qui in Libro Nizachon p. 302. rem

ita

ita conficit, cum scribit: *Prestabilius judico, arripere, quae extra contentionis aleam posita sunt, atque ex Masora differere, non tanquam ex authentico principio, sed quod humana constet industria.* Etsi vero magna sit humanae mentis imbecillitas, nec quisquam ab omni errore et lapsu facile immunem se prestare queat; tanta tamen hic locum inveniet moralis certitudo, quae oppositi tollat formidinem, nata e consensu exemplarium plurimorum et seculorum aliquot intercapidine atque serie perpetua conservata. Ab hoc paululum dissentit B. Pfeifferus, qui in *Crit. Sacr.* pag. 191. ad quaestioneum: *num autoritas Masorae sit divina an humana?* ita respondit: *Distingvendi primum sunt Autores. Quae ab Esra sociisve projecta, procul dubio sunt divinae autoritatis: Cetera autem sunt humanae fidei.* Deinde distinctio adhibenda inter Masoram formaliter et materialiter spectatam, seu inter id, quod est Masora et id, quod est Masorae: priori modo humanam, posteriori divinam autoritatem agnoscimus. Eadem fere habet in *Theol. Iud. exerc. 3. cap. 5. p. 179.* Conferantur B. Wasm. P. III. Vind. Hottingerus, Leusdenius, alii.

THESIS II.

Observationes sive notae Masoreticae numero plurimae sunt, sed maxime inter se distinctae; Extantiores vero et in evolvendo Codice Hebraeo apprime uiles sunt:
פסקא תקון סופרים עטור סופרים קרי וכתיב:

§. I.

Quod Masoretharum labor diffusus admodum sit, nemo harum rerum peritus ibit inficias. Fatetur *Celeb. Hackspan.* l.c. p. 302. quod *Masora non pauculas complectatur observationes, sed longe plures, quasdam etiam seculis longo intervallo a Prophetarum memoria seclusis adornatas.* Hae vero ipsae inique admodum a *Gordono Huntlaco in epit. Contr. Tom. I. conir. 10. n. 11.* diversi Scripturam corrumperi modi dicuntur. Certus eqvidem observationum harum numerus definiri nequit, in primis si posteriorum Autorum superstitionis magis quam fructuosa annotata respicere habet. Versantur autem omnes illae notae vel *circa literas*, vel *voces* vel *integros versus*. Clariss. *Lensdenius octo recenset species in Philol. Ebr. dissert. XXII. p. 254.* Nos expositionem qvarundam observationum Masor. hic adornabimus.

רבתוי

רַבְתִּי & magna scilicet litera, est nomen foem.
cum parag. a rad. רַבְבָּה multiplicatus est. Indicatur per hanc no-
tam litera ceteris maior sive maiuscula, qvarum Masora magna vigin-
ti otto enumerat; e qvibus Leusdenius exempla qvaedam recenset l.
e. pag. 109, 113. Conf. Fabr. Partit. Cod. Ebr. p. 16.

רַבְעֵיר & צָעִיר & צָעִירָה & שָׁעֵיר parvus, exiguus. Denominant hac
voce Masorethae literas minusculas, qvae forma solita et communis
ceteris sunt minores. Secundum Masoram tringinta literae minori
forma scribuntur in Bibliis, qvae videri possunt apud Leusd. l. c. p.
115. Speciatim literam vocant שָׁעֵיר brevem, respectu literae, qvam
appellant אריך longam. Sic Masora ad Num. VII. annotavit:
כְּבָשָׂוקִים לְחֵית בְּחֵן לֹא אֲרוֹךׁ וְלֹא שָׁעֵיר
sunt, in qvibus neqve longa neqve brevis occurrat, id est, neqve
1 neqve 1, Conf. Buxt. Tib. p. 235. et 247. Glass. Philog. p. 20.

הַפְּרִיכָה inverSAM denotat literam: Ad Num. X. 35. et XI. 1. anno-
tarunt, novem dari loca, in qvibus litera נ inverSA conspicatur,
vid. Leusd. loc. cir. p. 122.

תְּלִוִין suspensa, et in numero multitudinis תְּלִוִים suspensae literae,
qvae non in eadem linea recta, sed supra alias literas in Textu col-
locantur. Sunt autem quatuor eiusmodi loca in Bibliis, ut: Iud.
18. vers. 30. Ps. 80. 14. Iob. 38. 13. et vers. 15.

חַסְרֵר defectivum, plur. חַסְרִים defectiva, adhibetur a Masorethis,
qvando literae quiescentes אהוי in aliqua voce expressae non
sunt, in qua tamen alias exprimi solent, aut debent, ut: Num. XI. 11.
Gen. XX. 6. Deut. XI. 12. etc. vid. Fabr. partit. p. 17. Leusd. Jonas illustr. dis-
sert. 3. Sect. 5. §. 2. Buxt. Tib. p. 250. Hotting. Thes. p. 433.

יְתִיר et יְתִירָה superfluum, redundans, arad. נְתִיר
superesse, abundare, residuum esse. Notant hac observatione illas
voces, in qvibus aliqua litera superflue et abundantanter scripta est,
ut Gen. XXVII. 3. Ios. XXIV. 19. Ier. XIII. 21. etc.

§. II.

Pertinent huc etiam compendia scriptioNis, sive omnes ab-
breviatura, ut vocant, in infima Bibliorum parte appositae, qva-
les sunt: עַד בָּזֶק, בָּזֶק, רַבְבָּה, קָאַן id est, scil. legendus
est

est textus propheticus in *Haphtara* ad suam *Sidram* applicatus ;
qvae ultima, tamen nota in *Prophetis* solummodo occurrit. Plura
ne cumulemus, instituti ratio, cui proprius iam accedimus, in praesens
prohibet. Reliqua possunt apud *Buxt.* in clave *Major.* videri.

THESES III.

פְּסָקָה est nota Masoretica in Ebraeo textu circello in
medio versus, per spatum in eo reliquum, notata, qva Ma-
sorethae indicare volunt, sensum ibi praeter morem ab-
solutum dari in versu medio, qvi alias nonnisi cum fine
versus absolvitur : hinc, ne quis in Textu aliquid amissum
aut deperditum esse suspicaretur, hac sua observatione so-
licite caverunt.

§. I.

VOx **פְּסָקָה**, cuius Synonymum **פְּרוֹגֶמָה** statuit *Hottingerus* in
Thes. Phil. p. 225. origine *Chaldaea* est, et a rad. **פְּסָק** qvae *abscin-
dere, disrumpere, nec non, cessare, finem habere, absolutum esse*, signifi-
cat, derivatur. Nos cum Celeb. *Wasmitbo*, acerrimo Scripturae
Vindice, et Clariſ. *Buxorio* in *AntiCritica* sua, potius *per pausam*,
vel *finem in medio versus*, aut *per ellipsis in sensu*, qvam *per lacunam et
hiatum in textu*, ut periculosisſime faciunt *Lud. Capellus, Hugo Gro-
tius, Is. Vossius, Waltonus, Cornel. a Lap. Jo. Morinus, et alii* *Clementines*
(qvi ex hoc capite et fundamento S. Scripturam aliquius defelus
postulant, eiusqve integratatem in dubium vocant; qvibus tamen
diſti Duum Viri os dudum obturarunt) interpretamur. Duo alias
in *Masora* vocabulum hoc **פְּסָקָה** denotat; partim *virgulam istam
reliam* inter duas diſiones positam, qvae in Accentuum doctrina
Pſk Grammaticis vocatur: partim etiam *ſpatium iſtud vacuum* five
finem versus, qvi in versu medio (qvod mireris) nonnunq; obti-
net. Loca huic spectantia *Masora* haud uniformiter enarrat, **בָּ** forte
litera, vitio typographi, ob figurae affinitatem, in locum **רָ** **נָ** reposi-
ta, unde locorum **הָ** id est, *viginti quinq; ,* qvorum ad *Gen. XXXVII,
22.* mentio iniicitur, cum locis *viginti atque octo*, qvae per literas **הָ** **כָּ**
ad *Gen. IV, 8.* indicantur, facilis est atqve expedita conciliatio. De
ipſis notulae huius sedibus, seqvens paragraphus nos informabit.

B

§. II.

S. II.

Primus locus, ubi vacuum spatiū in medio versus deprehendit, G.n. IV, 8, ubi fontes ita fluunt, occurrit: **וְאָמַר קֹן אֶל הַבָּل** אֲחֵינוּ וְיָדֵינוּ בְּחוֹתָם בְּשָׁרָה וּקְם קֹן אֶל הַבָּל אֲחֵינוּ Et dixit Cain ad Abelum fratrem suum. Et factum est, cum essent in agro. Non subiicitur hic, quid Cain locutus sit aut dixerit; unde suspicio nata est, verba Caini, temporum iniuria aut hominum incuria, vel alio quodam casu interiisse. Versiones evidem hunc defetum supplere satagunt, quo, cum Targum sive versione Chaldaica, versio etiam Samaritana, Graeca LXX. viralis (quae haec verba addit: διέλθουσεν εἰς τὸ πεδίον) et Syriaca, (quae ultima Caini ad fratrem habitum sermonem per sequentia delineat: **كَمْبَلْ كَمْبَلْ**)

ibimus in campum seu solitudinem,) collimant. Quo vero iure atque
confidentia translatores eiusmodi qvid tentaverint, illud aequus le-
ctor, quem ad B. Waltherum in Harm. Bibl. Glasium in Phil. S.P. I. p. 45.
Calovium in AntiGrotio, Hottingerum in Thes. Phil. p. 147. Buxt. in An-
tiCrit. p. 534. Hakspan. in Libro Nizachon p. 407. Pfeifferum in Exercit.
de Colloqvio Caini et Abelis, hunc in finem remittimus, facile diudi-
cabit. Proximum huic locum Gen. cap. XXXV, 22. hisce inculcat:
וַיִּשְׁמַע בָּנֵי יִשְׂרָאֵל וְדֹרְדוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Et audivit Is-
rael. Ceterum fuerunt filii Iacobi duodecim. Quid de duplice hic
praeter morem expressa accentuatio, qvae alias in Decalogo tan-
tum obtinet, habendum sit, de eo conferri meretur Dan. Weimar
Doctrina Accent. Ebr. pag. 104. et Wasmuth. inst. accent. pag. 74. et 194.
Cetera loca, qvae in Clodianis Bibliis sunt conspicua, sicut Numer.
XXV, 19. יְהוָה אֶחָד הַמֶּגֶבֶן וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים מָשֶׁךְ
Et factum est post plagam. Et locutus est Dominus ad Moser etc. Ios.
IV, 1. יְהוָה כָּשֵׁר תָּמוֹן כָּל הָגּוֹן לְעִבּוֹר אֶת הַרְדֵּן וַיֹּאמֶר יְהוָה
Cum vero consummasset omnis gen transire Iorda-
nem, factum est, ut diceret Dominus ad Iosuam dicendo etc. Deut. II, 8.
Ios. VIII, 24. Iud. II, 1. Sam. X, 22. XIV, 19, 36. XVI, 2, 12. XVII, 37.
XXI, 10. XXIII, 2, 11. 2. Sam. V, 2, 19. VI, 20. VII, 4. XII, 13. XVI, 13.
XVII, 14. XVIII, 2. 1. Reg. XIII, 20. Ier. XXXVIII, 28. Ezech. III, vers. 16.
Ez. VIII, 3. Buxtorfius interim in sua Tib. pag. 280. enumeratis tan-
tum XXII. eiusmodi locis piscatis, reliqua in medio relinquit, scri-
bens.

benis, qvod eadem nondum observaverit. Clariss. Daniel Weimarus, postquam nonnulla vulgo in bibliis nostris impressa loca cum contextu et regulis accentuatoris conciliari prorsus non posse deprehenderat, spuria et subiecta a genuinis et veris, quae cuncta ordine suo recenset, accurate satis distinguit p. 108. loc. cit.

THESES IV.

תְּקִנָּה סָופְרִי est nota Masorethica, circello superne scripto notata in Textu Ebraeo, qva Masorethae lectores admonent, sic et non aliter esse legendum, prout in Textu extat, et verba ita esse inspirata; qvam illa lectio contra Textus συνάρθεσιν esse videatur, et sciolus aliquis e conexione aliter legendum suspicari posset. Huiusmodi loca XVIII. notaverunt.

§. I.

HAEC DEFINITIO REALIS EST, NOMINALEM TRADIT IO. MEYERUS IN FINE DIFF. CRITICO THEOL. QVANDO SCRIBIT: *Tikkun Sopherim non est XVIII. dictionum mutatione vel textus corrupti correctione et restitutio, vel mendacium emendatio; sed ordinatio et directio Scribarum sive Virorum Synagogae magnae, in quorum censu Esracum ultimis Prophetis, sive posteriorum Magistrorum, qva admonerunt lectorum, scripturam εὐΦημίαν adhibuisse, sive ipsum Mosen et Prophetas in 18. dictionibus, quum aliis esset scribendum, quam contextus praese ferret, stylum suum mutasse, qvod indecens videretur divinae maiestati, si recto et solito stylo ita scriptae fuissent.* Est autem vox **תְּקִנָּה** maxime apud Rabbinos et Chaldaeos in usu, atque descendit a rad. Ebr. **תְּקִנָּה** ordinavit, dispositus, directus, aptavit etc. quo significatu legitur Eccl. XII. 9. conf. Elias in Thisbi, et Buxt. in Lex. Rabb. p. 2626. **תְּקִנָּה** ergo significat ordinacionem, directionem, dispositionem seu constitutionem Scribarum; nullatenus vero correctionem aut mutationem a scribis in Script. S. investiam, ut solide ostendit IO. MEYERUS l. c. p. 17. et B. Pfeifferus in Dub. Vex. p. 859. add. eiusdem Herm. Sacr. p. 111. & Theol. Iud. p. 158. Erroneam interim sententiam omnes illi mordicus defendunt, qui sacrum nostrum codicem corruptionis cuiusdam accusant, et Textum Ebraeum multis in locis *Iudaorum malitia depravatum*

esse, sine ratione et damnando qvodam novitatis pruritu semel
abrepti audacter nimis pronunciant. Ex his tanquam principes
et coryphaei, *Lud. Capellus*, *Is. Vossius* ut et *Brian. Waltonus*, cele-
bratissima alias in orbe eruditio nomina, prae reliquis multum emi-
nent; qvorum placitis *Pontificii* (paucissimis, qvi cordatores ex iis-
dem videri volunt, exceptis), avide subscribunt. Nec minus atro-
hic lapillo nos notare oportet *Porchetum*, *Italum Cartbusianum*, qvi
nimio erga Synagogam zelo inflammatus, *in pro depravationibus*
Iudeorum, et *Scribarum* *stylo mendaci* reputat. Ab hoc parum aut
nihil discedit *Raymundus Martini*, qvi in *Pugione fidei* P. II. cap. 3. §.
9. et P. III. cap. 4. §. 11. et cap. 16. §. 27. Iudeos vocat *falsigraphos*,
fures atque mendates, qvod fecerint *furia valde sacrilega et valde cri-
miosa* in his XIIIX. locis. *Martini* vestigia premit *Voisin* in suis ad
Raym. *pugionem* observationibus pag 88. et 244. edit. Paris. 1651
qvando textum Ebraeum corruptum atque mutatum, per *Scribas* vero
restituum esse existimat. Atqve hi fere sunt, qvi omne, qvod per-
versis suis et impiis hypothefibus non convenit, fuggillant, reiici-
unt, damnant. Alia longe mens, et sententia illis est, qvibus de
meliori luto finxit praecordia Titan. Qvo enim iure *Masorethae*
sacrilegii accusari possunt, cum nihil e textu abstulerint aut im-
mutarint? qvod nemo adhuc probavit, aut unquam firmiter pro-
bare poterit. Ipsi sane Iudei, cum, teste *Maxime Reverendo* atque
Excell. Viro Io. Wülfero, *Patrono* atque olim *Praeceptore* meo plurimum
observando atque colendo, in *Iher. Iud.* p. 200. et 379. multos Christia-
nos fide et integritate, etiam in *rebus civilibus* non parum supe-
rent; qvidni in divinis hoc magis facerent? vbi pessima, imo du-
rissima qvaevis, perpeti, mortemque vel centies, si fieri posset,
subire malunt, quam ut unicum in textu apicem vel literulam cul-
pa sua immutent. Sponte itaque atque prompti ad eorum castra
secedimus, qvi nihil aliud *Masorethas* hic egisse existimant, quam ut
Lectores admonerent, irregularem illam in XIIIX. locis obviam
constructionem, non lapsu qvodam aut incuria et errore amanu-
ensium, sed certo qvodam consilio ab ipso scriptore sacro, imo a
Spiritu Sancto factam atque adeo religiosissime retinendam esse,
conf. *Glasfi Phil.* p. 16. et 31. *Io. Meyerus* l.c. p. 41. *Leusd. Jonas illu-
str. diss. 3. sect. 7.*

§. II.

Voce קון sic exposita, paucis quoque de סופרים five *Scribis* agendum erit, dicendumque, qui nam hoc nomine veniant intelligendi. Variam vocabuli *scribae* acceptioem, uti *Buxl. in Tiber. p. 99. et in Lex. Talm. p. 1534.* accurate fatis evolvit; ita non proprie, speciatim et praecise pro illo, qui epistolas, libros, contradicunt et similia scribebat; sed generatim pro omni Legisperito, qui legem Dei docebat et interpretabatur, qualis *Scriba* expresse *Esra* dicitur in Libri sui cap. VII. 6. hic locorum accipitur. Intelligent autem nonnulli per dictos סופרים *Dotores Tiberienses* five post *Talmudicos Rabbinos*; quanquam non desint etiam, qui *Esrae*, et reliquis sanctioris concilii membris, huius quicquid est nominis, assingent. Ut de *Hortingero*, (qui in *Theb. Phil. p. 426.* totam hanc de ordinatione Scribarum materiam adeo impeditam esse et perplexam subiunxit, ut nec de numero satis constet, nec de tempore, nec de Scribis), nihil dicamus; doctiss. *Buxtorffius* literis ad *B. Glasium* datis ulterius progrediendo, ipsos Autores sacros, *Mosen et Prophetas*, cum hi ipsi nunquam aliter scriperint, quam hodie scriptum legitur, siue fuisse hariolatur, vid. *Glaff. Phil. Sat. P. I. p. 40. et 10.* *Meyerus* pag. 18. Sentit cum *Buxtorfio* etiam *Cl. Leusdenius* in *Phil-Ebr. p. 271. et in Iona illastr. diss. 3. sect. 7.* cum ita scribit: *Mihi verosimile videtur per Scribas esse intelligendos ipsos Autores librorum, scil. Mosen et Prophetas, qui sic scriperint, prout hodie scriptum est: verum sapientes Ebraeorum viderunt inconvenientiam quandam in illis locis, ideoque indicarunt primos Autores propter antecedentia et consequentia aliter loqui et scribere debuisse; sed maluisse ita scribere, prout hodie scriptum est.* Pergit ibidem ita: *banc sententiam approbat R. Sal. Iarchi in Comment. ad Gen. XIIIX. ubi ait כתוב היה לו scribendum ipsi (Mosi) erat, Dominus stebat.* *Iarchi* non afferit, *Mosen* aliter scripsisse, quam iam in textu invenitur; sed indicat *Mosen* aliter debuisse vel potius potuisse scribere. Hacenus *Leusdenius*. Sed clarissimi hi viri loquuntur de *Autoribus S. Scripturae* five *verborum textuum*, non vero de *Autoribus huius notae Masorethicae*, quae הָנָם appellatur; atque in hoc habent nos consentientes. Quando autem quaeritur, quinam hi סופרים five *Autores nostrae Masor.*

observationis fuerint? firmiter cum aliis, maxime cum Iudeis in Mischna Tract. statim sub initium et Bartenora, in suo ad h. l. commentario, statuimus, Esram eiusdemque Collegium sive ultimas Prophetas eligendos hic esse; siquidem in Masora ad Num. XI. vers. 15. & t XII. v. 12. expresse תקון שורש ordinatio Esrae eadem nuncupatur. Ipse Clar. Buxtorfius in AntiCrit. pag. 750. Synagogae, quae per ספרא Esram et Collegas eius frequenter indigitat, bene memor, Scribas non recentiores, sed veteres, Esram scilicet et Collegas eius intelligit; cui etiam B. Pfeifferus in Dub. vex. per seqq. libens suffragatur: Per scribes intelliguntur non Tiberienses Masorebæ, sed Scriptores sacri et Esras eiusque Collegae Canonis revisores. conf. eiusdem Theol. Ind. pag. 158. et Herm. Sacr. pag. 53. Plura eqvidem in medium producere possem testimonia, Iudeorum in primis Veterum aeqve ac recentium, nisi id dudum abunde satis praestitissler Clariß, lo. Meyerus in Dissertatione sua Critico Theologica pag. 20. cum qua componi ea in primis merentur, quae B. Glasius in Phil. Sacr. pag. 29. seq. et Sixt. Amama in Antibarbaro bibl. pag. 30. hunc in finem commemorant.

§. III.

Ad loca ipsa nunc delati, illud monemus; quod Masora וְאַבְרָהָם עֲרוֹנוּ עִוָּרֶם לְפָנֵי יְהוָה id est, octo decim dictiones; alii vero plures, alii pauciores enumerent, conf. Glass. l. c. p. 32. Leusden. p. 269. et Hotting. p. 425. Primus locus extat Gen. XXIX, 22. וְאַבְרָהָם עֲרוֹנוּ עִוָּרֶם לְפָנֵי יְהוָה et Abraham adhuc stebat coram Domino. Iuxta cohaerentiam Textus invertenda potius fuisset propositio hunc in modum: Et Dominus adhuc stebat coram Abraham. Qyoniam vero hoc gloriae et maiestati divinae detrahere aliquid videbatur, hinc Moses et Prophetæ ἐν Κηφαλᾳ adhibuerunt et stylum mutarunt. Excussere hunc locum, B. Glasius in Phil. pag. 33. Calovius in crit. bibl. p. 154. Hakippa in Nizachon. p. 325. et 330. lo. Meyerus l. c. Pfeifferus in Herm. pag. 110. atque alii. Idem sentiendum est de reliquis locis, quae sunt sequentia: Num. XI. v. 15. textus habet בְּרַעְתִּי malum meum pro malum eorum, de quo vid. Mey. pag. 47. Tertius et quartus locus est Num. XII. v. 12. in vocibus בְּשֻׁרוֹ & אָמֹן de

de quo *Glossus* pag. 56. et *Meyerus* p. 50. Quintus 1. *Sam.* III. v. 13. in voce חַדְרָה pro חַדְרָה. Sextus occurrit 2. *Sam.* XVI, 12. Septimus et octavus 1. *Reg.* XII, 16. et 2. *Par.* X, 16. coll. 2. *Sam.* XXI, 1. vid. *Mey.* loc. cit. pag. 56. Nonus legitur *Ezech.* VIII. v. 17. Decimus *Hab.* I. v. 12. de quo leg. *Buxtorf.* *Anticrit.* pag. 750. *Gloss.* pag. 33. 37. et *Io.* *Mey.* *Seder olam* pag. 1044. Undecimus *Mal.* I, 13. vid. *Gloss.* pag. 37. 122. Duodecimus *Zach.* II. v. 12. in voce עִירָנוּ. Decimus tertius *Ier.* II, 11. Decimus quartus *Hos.* IV, 7. Decimus quintus *Iob.* VII. vers. 20. Decimus sextus *Iob.* XXXII. v. 3. Decimus septimus *Psal.* CVI, 20. Ultimus est *Thren.* III, 20. in לְעֵלָה. Atque haec sunt illa loca, quae חַדְרָה appellantur, et in *Masora textuali* ad *Ezech.* VIII, 17. atque in *Tanchuma* recensentur. In bibliis Clodianis tria saltem priora loca, duabus his literis חַדְרָה in margine inferiori sunt annotata; possunt vero evolvi reliqua apud *Hottingerum*, *Leusdenium* et *B. Glossum*.

THESES V.

עַטְרוֹר סֻפְרִים est nota Masorethica circulo supra voces in textu scripto notata, unice respiciens literam *Vau* ab imperitis, maioris perspicuitatis ergo, in quinque vocibus ab initio additam; quam vero Esras cum Viris Synagogae magnae, tanquam in Textu authentico nunquam scriptam, abiiciendam esse notavit, et veram lectionem in accuratioribus Codicibus comprehensam iterum restituit.

§. I.

VOcabulum עַטְרוֹר *Chaldaicum* est, a rad. עַטְרָה, quae in Coniunctione *Peal* discedendi vel *abeundi* significatum habet; in *Pael* vero *auferendi* vel *removendi* sensum induit, vid. *Baal Aruch* in rad. עַטְרָה. Exponunt communiter per *ablationem* scribarum, et describunt Itur Sopherim, quod sit *ablatio* literae *Vau* otiosa et superflua ab imperita plebe vocibus quinque additae, ut finit *Buxtorf.* in *Lex. Talm.* p. 1597. et *Hotting.* in *Thes.* p. 429. Per autem eosdem sic intelligimus, quos *tb.* IV. §. 2 aliter utut quibusdam sentientibus, insinuat, conf. *Leusd. Phil. Ebr.* p. 272. Mentio huius notae fit in *Talm.* Tractatu fol. 37, ubi R. *Isaac* illam inter הלָמָד recenset.

§. II.

§. II.

Loca, ut in thesi dictum, quinque sunt; quorum primus est Gen. XXIX. 5. in voce אֶחָד postea, ad quam *Masorethae* annotarunt עַתְּכָלִין הַכְּלִין וְהַכְּלִין esse quinque voces, quae vocentur ablatio scribarum. Ad hanc, ut et ad reliquias quatuor voces, vulgus inter legendum *vau* apposuit connexionis gratia, quod vero addi non debebat, quia primi Autores sine eo illas scripsierunt. Secundus locus est Gen. XXIV. 55. in voce eadem. Tertius legitur Num. XII. 14. in voce eadem, ubi observetur, quod hoc loco *vau* in nostris impressis Bibliis in Textu adhuc conspiciatur, cum tamen *Masora* ad Ps. 36. 7. illud relictat, et Talmud inter *Ittur* id recenseat. Hinc *Buxtorfius* in Lex. Rabb. rad. עַטְּר p. 1597. mirari se scribit, quod autores editionis hoc *vau* non abstulerint. Quartus invenitur Ps. LXVIII. 26. in voce eadem. Quintus et ultimus occurrit Ps. XXXVI. 7. in voce מְשֻׁפְטֵךְ, ubi quoque *vau* otiose additum rursus auferebatur.

VIRO CLARISSIMO,

DN. M. IOHANNI BARTHOLOMAEO LENZIO,

Marcobreita - Franco,

Fautori et Amico suo plurimum honorando,

S. P. D.

IOH. CHRISTOPHORVS VVICHMANNSHAVSEN,

L. L. O. O. Prof. Publ. h. t. Acad. Pro-Rector.

DVm caput suum inclinat, et morti quasi vicinum est Seculum hoc Academiae secundum, in solatium almae huius studiorum matris, Tuum iam erigis, Nobilissime LENZI, nihilque non agis, quo sub ipsa subsequentis aevi primordia, anxia inter Musarum suspiria, quae sub Martis iugo per omnes propemodum Europae angulos plurimum pressae iam defudant, Patriae atque Patronorum Tuorum Vota adimplreas. Ego ut rei literariae publicae de tam eruditio et tot elegantissimis dotibus instruто Cive ex corde gratulor, ita Deum precor immortalem ut fortunam conatibus Tuis parem, circulo studiorum rite hic superato, TIBI non deneget. Vale ita, Amice svavissime, et Dilherri Francorum Phoenicis optime memor, amoenisima, quae in lenimen laborum Tuorum semel ingressus es *Philologiae* spatia, constanter et in hostium veritatis confusionem animose persequevere.

Scrib. VVittembergae XII. Kal. Octob. A.O.R. MDCCII.

S. D. G.

Jc 335

Vd 18

ULB Halle
003 928 160

3




56.

Vd 17

VL

Farbkarte #13

B.I.G.



Q. D. B. V.

DE

NOTIS MASORETHICIS,

פסקאַ, תקון סופריָם
עטורה סופריָם &

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPES REGIO ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

In Celeberrima Wittenbergensi Academia

publice disputabant
PRAESES

**M. JO. BARTHOLOMAEVS
LENZIVS,**
Marcobreita - Francus.

ET
RESPONDENS

JOHANNES GEBHARDVS,
Moenobern. Francus.

In Auditorio Philosophico.

Anno Academiae Seculari c15 Is ccII. die XX. Septembr.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

ae.

